



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Pax cordis ac quies mentes quomodo acquirantur conseruenturq[ue], &  
quænam illis aduersentur. Cap. XLVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

VI  
6

cogitationibus possis dicere: *Pissime Iesu per tuam gratiam & si deberem mori, non velim hoc facere, aut ita cogitare, &c.* Quando irruunt cogitationes malae, si non praeualueris penitus abijcere, nec ad aliquod spirituale stabiliter & attente quidam propolito dicas cum indignatione tibi ipsi: *Ecce non cogitabis hoc belua.* Neque enim admittam tibi delectationem huiusmodi etiam si deberes mori, tu bestia. O Domine Deus, propitius esto mihi peccatori. Aduua me, ne admittam. Item licet si sterilis & aridus in affectu ad diuina, nihilominus tamen cogas te ad sustinendam illam praesuram, vt nullam interea cogitationem alienam, aut vanam consolationem admittas. *Fac ira & perseuera modicum, & Dominus illuminabit tibi abscondita tenebrarum.* Pro remedio contra delectationes cogitationum valet, vt aliquid amarum, cuiusmodi est absynthium in os ponas; illudque quoties tentatio te inuadit, & quamdiu te impugnat teneas, & dicas tibi cum indignatione aut derisione: *Ecce, si vis tenere quod delectat, comede etiam quod cruciat.* Item: *Vexantem te vexabo, donec vexatio tibi det intellectum tu bestia.* Pro talibus delectationibus etiam, aut alijs peccatis, facias poenitentiam tibi huiusmodi, vt quando multum esuris vel sitis tempore licito, ponas cibum vel potu ante oculos, & non sumas inde donec aliquamdiu appetitum tuum vexaueris, & dicas cordi tuo: *Ecce bestia pessima, semper mihi rebellis atque inobediens, sumendo & tenendo ea quae nolo, iam tibi quoque quae licite desideras, non concedo.* Veruntamen quando diu sic cruciatus es, expectando, tunc oportet etiam necessaria discretè fumere.

Quam fir-  
mum habẽ-  
dum propo-  
situm.

Remedium  
contra dele-  
ctationes  
cogitationũ

Egregium  
mortifica-  
tionis studiũ

*Pax cordis ac quies mentis quomodo acquirantur, conser-  
uenturque, & quanam illis ad-  
uersentur.*

CAPVT XLVII.

**N**Oli occupare cum dictis, factis, moribusque aliorum. Noli quicquã re- tractare de ijs quae ante sensu percepisti, nec patiaris de eiusmodi cogita- tionibus quicquam mediare inter te & Deum. Postremo propter quae- cunque dicta, facta, aut alia quae accidere possunt haudquaquam alium admittas affictum in te erga proximum, quam humilem, dulcem, pacificum, charitati- mum, ac in omnibus compatiuum. Quid iuuat te cogitationibus turbari mul- tum, super defectibus aliorum, qui nec proprios curare potes? Relinque eos Do- mino, vt ipsos discutere & curare dignetur. Tu serua pacem in corde tuo, & hu- iusmodi cogitationes super conuersatione aliena mox vbi inciderint, proijce. Sufficit tibi defectibus aliorum aut peccatis comapti, non fauere, nullam ijs occasionem praeberere, nec relinquere malum exemplum. Hoc enim modo omnia si volueris possunt tibi ad profectum seruire. Si pacificus & quietus esse volueris, necesse est vt tibi persuadeas, sic te habeas, in corde quoque id sentias, quasi in toto sis mundo solus, & praeter te ac Deum (vt sy- pra dixi) sit nemo: tuque de nulla re nisi de te & de Deo aliquid scias.

Pax cordis  
quomodo  
acquiritur.

Quies men-  
tis sancta  
quomodo  
obtinenda.

Aut



Aut (si alius placuerit modus) oportet vt te habeas, sicutque quasi ante tres annos mortuus, vt quantum potes salua conscientia, pro nulla re habeas sollicitudinem, curam, occupationemve cordis: sed quasi iam à mundo separatus nulli nisi Deo intendas. Et si alicui rei alteri te intendere oporteat, hoc ipsum tamen non aliter atque in Deum referas. Si agnoveris fratrem habentem tentationem contra te occultam, dissimula quasi nescires. Subtrahe quantum potes occasiones, ne ex te illi molestia sit. & quasi non intelligas sis ei eo blandior, amabilior atque affabilior. Hoc tamen maximè intelligendū est, de tentationibus quæ ex suspicionibus fantasiisq; naturalibus, atq; ex infirmitate passionumve subita oriuntur. Nā eas tentationes quas quis portat ex culpa tua, seu negligentia, quæ illi aut fratri accidit ex errore, quia putat te culpabilem, expedit, vt in fratre tuo studeas sedare, eidem te humiliando, atque rationem reddendo benigne. Molestias præteritas non in memoriā reducas, ne simul impatientia quoque fricetur, aut antiqui vulneris cicatrix cruentet. Si olim quid sustinuisse, iam non velles te non sustinuisse. Si enim nihil sustinuisse Dei contemplatione, careres quoque patientia illa, patientiæque merito. Ad tuam igitur utilitatem scito hunc tibi esse hominem missum, qui te exerceat. Minister Dei est tibi in bono. Gaude igitur si passus es, quia molestia transijt. Dei autē gratia & meritum non transijt. Ille quoque à quo passus es, iam factus propterea est melior. Neque enim Dominus id permisisset fieri, vt ille frater tuus, Deique æquè ac tu filius perperam ageret, nisi propter patientiam in te (quæ necessaria tibi erat) exercendam. Aut quomodo patientiæ tu meritum obtinuisse, si nemo qui te præmeret, nemo qui tibi foret molestus esset? Si vis veram pacem habere, necesse est, vt in omnibus te habeas inter fratres, ac si esses inter oues, vel omnino solitarius in sylua, vt scilicet quamdiu passionum viciorum in te sunt, cum nulla re te intromittas, sed te exhibeas quasi nemo sit tecum, quo animum serues liberum atque pacatum, scilicet pro nulla re contendendo, aut disputando, neminem instruendo docendo ve, (puta, ex præsumptione, vel vbi hoc alteri, non tibi est commissum) pro nulla re interrogando, loquendo nihil, nihil quod non est ædificatorium audiendo, neminem corripiendo, nihil de aliorum actus dispositionibusve in corde tuo te intromittendo, cum nullo denique singularem familiaritatem contrahendo: sed omnes vna communi charitate diligas, omnibus obedias & seruias, & offendere studeas neminem. Quando ad aliquid dicendum, monendum, procurandum, tamen si bonum valdè videatur, intus instigaris, tamen si adhuc dubium incertumque, an placeat Deo fuerit (nisi super hoc esset tibi commissio facta) nihil agas, sed Domino hoc committens, dicas: *Pie Iesu, ordina & dispone tu hoc illud ve secundum quod perfectissima tue placuerit voluntati.* Quæ admodum non debes obseruare alios, nec eorundem statum dispositionemve scrutari: sic etiam non admittas cogitationes vel suspensiones, quod alij te obseruent, aut quod hoc alio ve modo de te sentiant: sed semper cum simplicitate omnia dissimules, quæ te turbare possent, fugiendo, tacendo, & nesciendo. Ita vt vt sit homo tuus interior in continuo exercitio propriæ cognitionis, & humiliationis ac charitatis: Exterior verò (quoties occurrit occasio) se debet humiliare, proximisque charitatem impendere, seruiendo, obediendo, obsequendo, auscultando, non contendendo vel disputando cum eis, & huiusmodi. Semper fuge singularitatem in publico, propriamque voluntatem, & habebis pacem

Molestia  
præterita  
cur obliuio  
nisi tradenda.

Pacem veram  
quomodo  
quis obtineat.

Alii non  
obseruandi.

Exercitium  
interioris &  
exterioris  
hominis  
quale adsumendum.



cem. Nihil est stultius, & quod magis hominem inquietat, quam alios observa-  
re, percunctari ve quis hic ambulat, quid fecerit, quid portet, quo eat, & huius-  
modi quod multas generant suspitiones, & vulnerant charitatē. Ideo tu non mi-  
norem facito diligentiam, ut hæc nescias, imò si etiam videris non attendas, sed  
pro nihilo transire permittas, quam alius faceret, ut hæc & similia exploret.  
Propter alienos defectus nunquam perturbabis, potissimè officialium quo-  
rum opera sæpissimè iniquè iudicantur, nec murmures. Committe omnia Deo.  
Spera intentionem proximi tui fuisse sinceram. Crede illum deceptum, modo  
refigurasse. Quid enim pro alienis indignaris, quorum tibi haudquaquam cura  
est commissa, defectibus? Si igitur cordis optas pacem, si tranquillitatem, neces-  
se est hac in re stultum te fieri ac mortuum, ut multa neque intelligas neque  
sentias.

VI  
6  
Observare  
alios quam  
sit stultum.

*Quies libertasque mentis per quamam media redin-  
tegetur, servetur.*

CAPVT XLVIII.

**S**erua munditiam cordis, ut nihil cogites vel concupiscas, nisi quod te ducat  
in Deum. Serua pacem cordis, ut nihil quod videris aut audieris, nihil-  
que factum ab alijs quod non ædificat, cogitando retractes. Serua quietem,  
ut ab omni inutili occupatione te abstrahas, de nulla re quæ tibi non est com-  
missa, & quam potes cum bona conscientia dimittere, te intromittas, sed Deo  
inque ad quos spectat huiusmodi curare, committe. Omnem verò tuam soli-  
tudinem & coram in Deum projice, ipsum rogans, ut non secundum tuum de-  
siderium, sed secundum suum beneplacitum tecum disponat, & voluntati suæ,  
tuam in omnibus misericordissime vniat &c. Serua libertatem cordis, & affe-  
ctum tuum ab omni creatura abstrahas, nulli rei nisi soli Deo per affectum in-  
hæreas, ad ipsum libere, & iugiter aspices, & spiritum tuum per amorem illi v-  
nias. Quantum fieri potest delectationes & affectiones ad creaturas mortifices,  
naturales inclinationes vincas & exuas, quò purè Deum quæras in omnibus.  
Vigila tota mentis intentione, caueasque à superbia, ne vel tibi complaceas, aut  
alios iudices, aut contempnas, neve alicui displicentia erga proximum consen-  
tias. Fuge, omnem occasionem peccati, declinando & remouendo. Tace, silen-  
tium ori & cordi imponendo, ut nihil nisi interrogatus, aut ex necessitate lo-  
quaris, & nihil visum vel auditum cogitando in mentem (si mane id fuerit) re-  
ducas. Quiesce, soli Deo per affectum inherendo. Disce nunc mori, vide cōditio-  
nes mortui. Hic enim non videt, non loquitur, non sentit, non audit, non infla-  
tur, non irascitur &c. Sic & tu non loquaris, non audias, non cogites, non concu-  
piscas quæ sunt mundi, & mundo mortuus es. Hoc in te vivit, quod cor-  
tuum sollicitat, quod affectum trahit, quod concupiscis, quod diligis.

Munditia &  
pax cordis  
seruanda  
quæ sit.

Quies cordis  
custodienda  
quomodo

Libertas cor-  
dis quomodo  
seruanda

Cōditio nes  
mortui imi-  
tandæ quæ

Moriatur mundus, ut vivat in te  
Christus.

